



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 4. Errantis nullus est consensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

nos pubertatis pervenerint, uti Dicastill. d. 1. n. 494. cum Sanch. & Hurtad. docent.

Deducitur 2. Si posterioribus Sponsalibus copula accedat, ab his probabiliter priora Sponsalia dissolvi, uti Ferd. de castro p. 5. d. 1. pu. 22. n. 5. cum Pontio, Rebello & alii docet.

Deducitur 3. Si Matrimonium primis duobus mensibus consummatum sit, non licere amplius Religionem ingredi alterutri conjugi sine alterius consensu, sicut ante consummationem, quando ratum duntaxat erat Matrimonium, licet.

PRINCIPIUM IV.

Errantis nullus est consensus.

Sensus.

Hoc est, Si quis circa ipsam causam motivam erroret, potestque adesse bonitatem, ob quam in aliquem actum consentit, cum tamen illa non adsit, tum hoc ipso censendus est absolute in talem actum non consentisse.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 116. de reg. Juris §. 2. ubi dicitur: Non videntur, qui errant consentire. Item ex le. si per errorem 15. ff. de judic. & le. non idcirco 9. Cod. de Juris & facti ignorantia, illudque refert, & defendit Barbosa axiom. 1. cum plurimis aliis.

Ratio.

Quia cessante causa cessat effectus, ergo cum error quoad substantiam, causam seu motivum principale cessare faciat, mirum videri non debet, si ipse quoque consensus velut effectus illius irritus dicatur; unde merito in cit. leg. si per errorem dicitur, nihil consensui tam contrarium esse, quam errorem.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Matrimonium & Sponsalia nulla esse, si cum errore circa substantiam versante contractum sit, uti S. Thomas Sanch. Suar. Laym. & alii communiter docent apud Ferd. de castro p. 5. tr. 28.

Dedu-

Deducitur 2. Si magna Sponsi debita aut morbi graves
occulti & continui, aut grave famæ periculum detegatur,
poteſt Sponſum alterum reſilire à Sponſalibus, ut Bonac. &
alii apud & cum Buſenb. l. 6. tr. 6. c. 1. du. 3. docent.

Deducitur 3. Etiam ſi defectus aliquis gravis ſuperveniat
contractis Sponſalibus, fore ſufficientem iisdem diſſolven-
tis, ſi talis ſit defectus, ut Sponſus, ſi eventurum talem defe-
ctum ſciſſet, Sponſalia non contraxiſſet, uti Tann. Sanch.
Laym. Coninck & alii communiter docent apud & cum P.
Gobat tr. 10. n. 193. quia etiam in tali caſu error quoad ſub-
ſtantiam in futurum intervenit.

PRINCIPIUM V.

**Actus, qui non valet, ut geritur, ſaltem valet,
ut valere poteſt.**

Sensus.

Hoc eſt, ſi actus aliquis diſiſibilis quoad omnes ſuas
partes valorem ſuum ſortiri non poteſt, ſaltem validus erit
ſecundùm eam partem, ſecundùm quam habet omnes condi-
tiones ad valorem requiſitas.

Authoritas.

Deſumptum eſt ex cap. un. de deſponſ. impub. in 6. illud-
que approbant communiter Doctores, teſte P. Gobat in theſ.
indulg. p. 1. n. 64.

Ratio.

Quia nemo præſumitur facere velle actum fruſtratori-
um, ut Barboſa axiom. 11. cum Sardo colligit ex le. unic. Cod.
de theſauris, ergo ſi totus actus validus eſſe non poteſt, præ-
ſumitur malle quiſque ſaltem aliquem fructum ex ſuo actu,
quam nullum habere.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Matrimonium inter puberem & im-
puberem contractum, vel inter duos impuberes initum, non
quidem valere ut Matrimonium, habere tamen vim Sponſa-
liorum, uti colligitur ex cap. unic. de deſponſ. impub. in 6. &
docent multi apud & cum Sanch. l. 1. d. 21. n. 1.

Dedu-